Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 2143
Quelle:
Copyright:

XVIII. *fol.* 274. p. 2. *De modo introducendi in themata ſermonum et dilatandi materias.* Plures extant ejusmodi *de Arte Praedicandi* Tractatus, quorum Autores adſignare difficile eſt. Praeſens incipit: *Ueritas ewangelica predicantibus quaſi quibusdam paranymphis eſt commiſſa* &c. Materiae praecipuae ſacris Oratoribus ſtatuuntur decem: *Deus, dyabolus, ciuitas ſuperna, infernus, mundus, anima, corpus, peccatum, penitentia, uirtus.* Ad harum porro amplificationem aperiuntur Loci ſeptem: *Res abſoluta, Generatio, Corruptio, Mixtio, Compoſitio, Oppoſitio* et *Vſus rei.* Vides φρασεολογιαν Scholaſticorum in omnes ſe artes inſinuaſſe. Haec denique doctrina exemplis ſtabilitur. Finis eſt: *ut perfectus ſit homo dei ad omne opus bonum inſtitutus per eum, qui viuit* &c. *Scriptum in concilio Baſilien. Anno domini M° CCCC° XXXIIII°.* Quod Concilium, qui ſcholam Librariorum dixerit, haud errabit.

XIX. *fol.* 288. p. 2. Carmina quaedam leonina de S. *Leopoldo Auſtriae* Marchione. *Anno domini Milleſimo. CCC. XXIII.*

Prefulget ſignis leupoldus marchio dignis
Cecis in multis claudis paruis et adultis &c.

Aliud inſcriptum: *Oratio ad pium marchionem. auſtrie leupoldum:*

O flos primatum decus O leupolde beatum
Perpetuo gratum. modo quod teneas dominatum &c.

Aliud, quod incipit:

Anno milleno ter C. duo XX quoque terno
Claruit inſignis ſubſcriptis marchio ſignis.

Sequuntur XIV. illi adtributa Miracula diſtichis aut triſtichis, hac clauſula:

Princeps inſignis. Leupoldus marchio dignis
Claruit hys ſignis ſunt cognita plura benignis
Eſt domus hec cuius fundatio ſpiritus huius
In celi ſede manet hac caro clauditur ede.

Ex his colligitur, Carmina haec in Collegio Canonicorum *Clauſtroneoburgenſi*, ubi *Leopoldi* exuviae conditae ſunt, longe ante cuſa fuiſſe, quam ille aris imponeretur.